

De Apollonii Dyscoli

τέχνη γραμματικῆ

ad Ioannem Vahlenum

epistula critica

Gustavi Dronkii

I.

Ordiendum est a re ut tritissima ita a nulla parte dubia: Priscianum permulta, quae docet in institutionibus suis grammaticis sumpsisse ex Apollonio Dyscolo. Nam et ipse id in prohoemio declarat nec desiderabit qui utriusque libros evolverit exempla. At delitescit sub illa re quaestio difficilima: quae ex illius libris, quae aliunde duxerit Romanus. Nec enim potuit illi quippe Graeco grammatico totum se dedere nec voluit. Qui statim in prohoemio p. 533 P. se conari ait Herodiani et Apollonii *'praecepta quae congrua sunt visa in Latinum transferre sermonem, collectis etiam omnibus fere, quaecumque necessaria nostrorum quoque inveniuntur artium commentariis grammaticorum'*. Significat igitur non e solo Apollonio sed etiam ex Herodiano itemque e latinis grammaticis se sua cepisse, atque ea quidem ratione, quam unam ipsius natura rei exegit: ut quae convenirent Latinae linguae subduceret ex Graecis, ex Latinis, quae propria essent huius linguae. Id est, ut hi materiam, velut exempla, formas, similia, suppeditarent, illi et rationes, ad quas materia digerenda esset, et omnino doctrinam grammaticam, velut definitiones quae utrique linguae communes erant. Quod etiam distinctius indicat VI, 1, 1 (p.

676 P.) *qui veterum scriptorum artis grammaticae vitia corrigere, quamvis audacissime, sed maximis auctoribus Herodiano et Apollonio confisus ingrediar*. Certa igitur ratione cum exploratum sit Priscianum usum esse in adhibendis fontibus suis, etiam nos, ad eandem rationem si institutionum praecepta examinemus, diiudicare poterimus atque discernere, quae sint Latinorum, quae Graecorum. Atque etiam in his qui diligenter et sensu sagaci in Graecorum grammaticorum libris versatus sit forsitan dispicere sibi videatur, quae Apollonii redoleant ingenium doctrinamque. At ex eis, quae sensus suadeat, argumentari velle cum semper lubricum sit, tum prorsus reieclaneum, si, ut in nostra re, non desunt argumenta certiora. Habemus enim in manibus quattuor Apollonii scripta: ut eis cum institutionum qui eadem argumenta tractant libris accurate comparatis certe in illis quid Apollonio debeat assecla plane cognoscatur atque ita firmum comparetur fundamentum, unde longius progredi liceat.

In libris vero de constructione qua egerit ratione grammaticus Latinus in Apollonii doctrina convertenda, iam ante duos hos annos exponere conatus sum in Museo phil. IX p. 603 sqq. Ubi haec probasse videor: persaepe pedisequum ipsa illius verba reddidisse, ut quamvis Latine loquens tamen modo optimo A codici aliquid auctoritatis consensu suo subministret modo etiam hoc codice nos deserente unum emendatori praesidium sit. Sed etiam si Graeca verba vel attenuando vel amplificando refinxerit ad suum ingenium, tamen ex eo ambitum lineasque disputationis perspicere posse. Quibus nunc hoc unum addendum videtur, congruere ea plane cum eis, quae supra ex Prisciani verbis conlegimus. Ut enim Apollonii doctrina de constructione in universum non abhorruit ab lingua Latina, ita ex eo quae docet omnia fere non modo potuit, sed debuit haurire Priscianus, cum alter Graecus, quem sibi imitandum proposuit, Herodianus non tetigerit hanc rem.

Tres vero illi libri qui singulas orationis partes in-
 strant, *περὶ ἀντωνυμίας, περὶ ἐπιρρήματος, περὶ συνδέσμων,*
 et materiae genere et ratione disputandi tam ab opere de
 constructione diversi, quam inter se simillimi sunt. Maior
 enim eorum pars cum in etymologia quam vocant expla-
 nanda versetur, Latinus inde nil fere praeter ea quae de
 illarum orationis partium indole disputantur potuit in institu-
 tiones suas derivare. In his vero adhibendis eisdem usus
 est rationibus, quas in libro de constructione cum secutum
 esse diximus: nisi quod in coniunctione, cum Apollonii liber
 et in capite mutilus et permultis locis lacer sit, id non ubi-
 que observare licet. At quod ad librum de adverbio ad-
 tinet, non posse dubitari, manifesto opinor adparebit ex
 altera epistula. De pronomine autem ut iam omnibus firmum
 ratumque sit quod sensi, Immanuelis Bekkeri sollertia effecit.
 Qui cum Apollonii librum *π. ἀντωνυμίας* a situ et oblivione
 vindicaret, Prisciani libros, qui eandem orationis partem
 inustrant, cum subinde ad emendandum Graecum excussit
 tum persaepe eadem docere monuit in adnotatione critica.
 Non igitur quo demum Apolloniana esse quae ille docet de
 pronomine probem, exemplum subponam inlustris, sed quo
 lectoris tantum modo, qui forsitan exempla prorsus deesse
 aegre ferat, commodo provideam:

Priscianus XII, 3, 13. p. 940 P. Apollonius *π. ἀντ.* p. 22, A.

Prima est, cum ipsa quae
 loquitur, de se pronun-
 tiat. Secunda, cum de
 ea ad quam directo ser-
 mone loquitur. Tertia, cum
 de ea, quae nec loquitur, nec
 ad se directum accipit ser-
 monem. Nam si dicamus,
 prima est quae loquitur, potest

Ἐπερ ῥητέον ἐν μὲν τῇ περὶ
 ἑαυτοῦ ἀποφάσει πρώτον, —
 — ἐν δὲ τῇ πρὸς ὃν ὁ
 λόγος ὑπὲρ αὐτοῦ, δεύτερον·
 ἐν δὲ τῇ μήτε προσφωνούσῃ
 μήτε προσφωνομένη τρίτον.
 Οὐ γὰρ ὕγιές τὸ λέγειν, ὅτι
 πρώτον πρόσωπον τὸ ἀποφαι-
 νόμενον — — εἰ γὰρ τὸ πρῶ-

nihil de se loqui, sed de secunda vel tertia, et fit dubitatio, c. q. s.

τον πρόσωπον τὰς τρεῖς φωνὰς ἀποφαινέται, ἐγὼ σὺ ἐκεῖνος, δῆλον ὡς καὶ πρότον τὸ λέγον εἰρήσεται, καὶ ἔτι τὸ δεύτερον καὶ τὸ τρίτον κτλ.

Verum enim vero Herodiano quod ex illis Prisciani libris aliquo iure vindicari possit, nil dispicio. Nec mirum; nam duo ex illis argumenta omnino non compertum habemus eum tetigisse; de adverbio vero et de pronomine etsi scripsit, tamen quid docuerit ne coniectura quidem assequi possumus. Sed ut largiar, nonnulla praecipere Priscianum quae illi debeat: at non eorum veritas infringitur, quae disputavi: eorum quae omnino e Graeco grammatico peti potuerint, tantum non omnia deprompta ex Apollonio. Quid vero, quod Priscianus in prohoemio Herodianum se aequae atque Apollonium secutum esse declarat. Quod cum diceret non prorsus ementitus est, at quo institutionum auctoritatem auget iusto liberius locutus est. Concedo enim, Herodiani libros et inspexisse eum et subinde in opere suo conficiendo adhibuisse. Nam id ut credamus, extant in institutionibus quibus cogamur; velut VI, 18, 92 (p. 723 P.) *'et vocativum in e productam, τὸν καὶ φωνήσας προσέφη, Οἰνῆε Τύδη, teste Herodiano, qui hoc ponit in I catholicorum'*. Cf. II, 1, 3 (p. 566 P.) et II, 6, 30 (p. 581 P.). Verum, quod Apollonii librorum comparatio cum institutionibus suadet, in universum Priscianus existimandus est rem ita egisse, ut huius grammatici Graeci opera pro fundamento haberet, aliunde ea tantum sumens, quae ex operis sui ratione necessaria essent. Neque desunt loci, quibus id ipse diserte profitetur. Dicit enim XII, 3, 13 (940 P.) *'melius igitur Apollonius, quem nos, quantum potuimus, sequi destinavimus'* et XIV, 1, 1 (p. 974 P.) *'et maxime Apollonius, cuius auctoritatem in omnibus sequendam putavi'*. Quae vero plurimum auctoritatis afferunt sententiae nostrae, leguntur in constructionis prin-

cipio XVII, 1, 1 (II p. 3 Kr.): *‘Quoniam in ante expositis libris de partibus orationis in plerisque Apollonii auctoritatem sumus secuti, aliorum quoque sive nostrorum sive Graecorum non praetermittentes necessaria, et si quid ipsi quoque novi potuimus addere: nunc quoque eiusdem maxime de ordinatione, sive constructione dictionum, quam Graeci σύνταξιν vocant, vestigia sequentes, si quid etiam, vel ex nobis congruum inveniatur, non recusemus interponere’.*

II.

Quattuor autem tantum modo cum Apollonii scripta extent, minor est institutionum pars, quam ex illius libris fluxisse horum ipsorum conlatione demonstrare liceat. Praeque vero ab Latino grammatico disputata etiam Apollonium tractasse nunc e titulis potissimum qui ad nos pervenerunt adparet. E quibus perspicimus potuisse Priscianum ex illo haurire quae docet de litteris, de orationis partibus, de μερισμῶ: nam περὶ τοῦ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγον μερῶν est id, quod Priscianus vertit *‘quot orationis partes, de eorum proprietate’*. — Haec igitur Priscianum ut potuerit sumere ita re vera sumpsisse ex Apollonio si contendimus, iam non in concipiendi probabilitate, sed in necessitate concludendi versari videmur, si quidem vera sunt, quae supra exposuimus. Sed quibus id apertissime demonstraretur, testimonia diserta praesto sunt. Atque apertissimum testimonium est, quod non numquam Priscianus nos ipse ad Apollonium ut doctrinae suae fontem relegat, ut II, 4, 16, II, 6, 30; VI, 1, 1; VIII, 15, 87; XI, 1, 1; XIV, 1, 1 (p. 574, 581, 676, 833, 910 et 974 P.) Neque minus apertum est, quod quae ab Apollonio in deperditis libris disputata fuisse aliunde comperimus nunc legere licet servata nobis Prisciani industria. Cuius rei duo lubet exempla proponere. Apollonius enim π. σνντ. p. 231, 15 se *‘ἐν ἑτέροις’* profitetur indicativum, non infinitivum praeponuisse ceteris modis. Quod non potuit non in libro de

verbo docere. Quare non dubito, quin Priscianus, cum VIII, 12, 645 sqq. (p. 818 P.) istud multas adferendo rationes probare conetur, eius disputationis quam significavit l. l. Apollonius lineas nobis tradiderit. Eodem modo etiam alterius Apollonianam originem praecepti ab Prisciano exhibiti convinco ipsius grammatici nostri ope. Dicit enim π. συντ. p. 302, 3 haec: δι' οὗ δεικνύται ὅτι πάντα μὲν ἐπὶ γενικὴν φέρεται τὰ πτωτικά, οὐ μὴν τὰ ἐν μετοχῇ γυνόμενα — συντάξεως γὰρ τῆς αὐτῆς ἔχεται τοῖς ῥήμασι — — τὸν τοιοῦτον λόγον ἀκριβέστερον ἐξεθέμεθα ἐν τῷ περὶ μετοχῆς. Diserte igitur cum ad librum περὶ μετοχῆς relegemur, eo manifestius est Priscianum subduxisse ex Apollonio, quae luculenter in Participio (XI, 1, 3 p. 912 P.) de casibus quibuscum nomina et quibuscum participia construantur disputat.

Neque tertium praetereamus testimoniorum genus, non illud quidem tam apertum, tamen non minus certum. Et enim notissimum est scholia, quae in Dionysii Thracis artem grammaticam extant, permulta exhibere, quae ex Apollonio fluxerint. Quare fieri non potuit, quin Prisciani institutionum et illorum scholiorum, cum idem esset utrisque fons, persaepe praecepta, haud raro ipsa convenirent verba. Quod vero maxime tenendum est: in quibus partibus cum Apollonio conferre utraque illa licet, — dico eas, quae agunt de pronomine, de adverbio, de coniunctione — id observatur, nusquam ea consentire nisi in eis, quae Apollonio conlato argui possunt petita esse ex hoc grammatico. Quare statuendum est, etiam ubi huius libros iam non dum inspicere liceat, illorum consensum semper inde ortum esse, quod quae exhibent ex hoc communi fonte hausta sint. Qua ratione saepius possunt apud Priscianum Apollonianae vestigia doctrinae dispici. Cuius rei exempla consulto etiam e litterarum disciplina proponemus. Nam de orationis partibus cum iam aliunde conguessimus testimonia, tum ipsum vidimus Priscianum distinctius testari. Ut plurimum adhuc dubitationis adhaerescere videatur eis, quae de litteris praecipuntur.

Schol. Dion. Thr. p. 772, 19.

— — στοιχεῖα γάρ φαμεν εἶναι κοσμικὰ τέσσαρα, — — καὶ ὃν τρόπον ταῦτα, καταλλήλως πλεκόμενα, τὰ ἡμέτερα σώματα ὕγιᾶ τε καὶ τέλεια καθίστησιν, οὕτω καὶ τὰ στοιχεῖα ὁμωνύμως ἐκάλεσεν. κτλ.

Prisc. I, 2, 4 (p. 538 P.)

Literas autem etiam elementorum vocabulo nuncupaverunt, ad similitudinem mundi elementorum. Sicut enim illa coeuntia omne perficiunt corpus, sic etiam haec coniuncta literalem vocem, quasi corpus aliquod componunt, vel magis vere corpus.

Atque quod I, 3, 7 (p. 540 P.) Priscianus tria accidere litterae dicit, nomen figuram potestatem, id scholiasta exponit inde a p. 773, 21. —

Praepositionis autem apud utrumque eandem invenimus definitionem. Scholiorum enim verba p. 924, 7 'προθέσις ἐστὶ μέρος λόγου, καθ' ἓνα σχηματισμὸν λεγόμενον, προθέτικον τῶν τοῦ λόγου μερῶν ἐν παραθέσει ἢ ἐν συνθέσει, ὅτε μὴ κατὰ ἀναστροφὴν ἐκφέρεται', ultimis tantum omissis sic expressit Priscianus XIV, 1, 1 (p. 974 P.) 'est igitur praepositio pars orationis indeclinabilis, quae praepositur aliis partibus orationis vel adpositione vel compositione'. Atque hic cum inde a XIV, 1, 7 (p. 977 P.), quibuscum orationis partibus componatur, quibus adponatur praepositio disputet, tantum non eadem adhibet verba, quibus scholia (p. 925, 2 — 926, 2 et iterum p. 926, 17 — 927, 5) *) eam rem explanant. Ne desit exemplum, subscribam quae de participio docentur:

Scholia p. 925, 15 sqq.

Καὶ ἐν μετοχαῖς κατὰ σύνθεσιν εἰσιν, ἐάν γε ἐν τοῖς ῥήμασιν αὐτῶν κατὰ σύνθεσιν ὦσιν, οἷον ἡ περιπατῶν μετοχή — — χωρὶς εἰ μὴ

Priscianus p. 978 P.

Cum participiis in compositione quidem secundum verborum figuram, ex quibus nascuntur, ut inducens — — Et praeterea per adpositionem,

*) Ultramque scholiorum expositionem ex eodem derivandam esse fonte manifesto evincit, quod in plurimis exemplis conveniunt.

ἐν πλαγαίαις πάλιν τῆς μετο- in accusativo et ablativo se-
 χῆς παράθεις γένηται, ὡς cundum nomina, ut in aman-
 ἔχει τὸ κατὰ ἀναγινώ- tem, pro ducente.
 σκοντος — —.

III.

Sed iam nimii fuimus in hac re probanda. Non enim est ea aut tam difficilis aut tam dubia, ut multis ad persuadendum opus fuerit. Accuratius vero de ea locuti sumus, quo ad maiora nobis viam muniremus. Pervenimus enim ad quaestionem ut difficillimam ita gravissimam. Et enim plura in institutionibus argumenta inlustrantur, quae Apollonius ne tetigisse quidem videtur. Nam eius librorum titulos etsi omnes diligenter percenses, tamen nullus occurrit, qui illum aut de voce aut de syllaba aut de dictione scripsisse prodatur. De his igitur quae disputavit Priscianus, summa dubitatio est, unde tandem sumpserit. Atque tres ei omnino viae, si Apollonium aut non potuit aut noluit imitari, patuerunt. Nam aut sua usus esse Minerva, aut quia eius ope se interdum niti ipse pronuntiat Herodianum, aut alium aliquem grammaticum seculus esse credendus est. At ipsum excogitavisse quae scripsit, nullo modo fieri potest ut concedamus. Quem enim et ipsum ingenue fateri cognovimus, se modo aliorum in unum congerere velle opera paucis summum ex suo ingenio additis, et sat mediocri ingenio fuisse iam ex eo conligere potes, quod haud raro quem in suam linguam transferre voluit Apollonii sensum non perspexisse potest convinci: eumne sagacissima praecepta de istis rebus sua concepissemente putabis? et ut ipse conceperit, istumne qui se ipse efferre praedicatione non veritus est hominem illa existimabis ita protulisse, ut ea non minus quam cetera ex aliis grammaticis sumpta esse viderentur? Non suo ingenio illa eum debere certissimum est: id tantum dubium, cui debeat. Herodiani vero doctrinam ne in illis latere coniciamus, cum prohibet, quod de ratione qua cum adhibuerit Priscianus dis-

seruimus, tum adversatur id, quod ille neque de syllaba aut de voce aut de dictione scripsit neque aliud quidquam edidit, in quo, si modo ex titulo coniecturam de argumento facere licet, de hisce rebus agere potuisse videatur. In eo igitur acquiescendum videtur ut neque Apollonio neque Herodiano, sed alii cuidam grammatico ea vindicemus. Et acquiesceremus, nisi graves obstarent rationes. Ut enim ita esse largiamur, Graecumne fuisse illum, quem Priscianus imitatus est, an ducis Latinum? Si Latinum putas, vehementer repugnat ratio qua Latinis grammaticis usum esse Priscianum ex ipsius verbis demonstravimus: ex eis enim non potuit definitiones aut similia ducere, quae in istis capitibus nobis occurrunt. Sin Graecum fuisse grammaticum existimas, iam concedo, ut ita potuisse esse nequeat prorsus negari. At vero non probabile est; immo ne credibile quidem. Solos enim Apollonium Herodianumque semper Priscianus cum maximis laudibus effert, tum se sequi aperte declarat. Quare alius 'Graeci grammatici doctrinam in Prisciano odorari tam diu hariolantis est, quam diu non ipsa Graeci illius verba quae putas illum imitatum esse significari possunt. Quid igitur, dices, si neque ipse illa excogitavit neque ab alio mutuatus est? Unde eorum origo petenda sit, ne fallaci tantum coniectura attingas, ingredienda est via quam modo significavimus. Circumspiciamus enim in Graecorum grammaticorum reliquiis, num forte alicubi eadem quae Priscianus docuit de voce et de syllaba et de dictione praecipiantur: nam talis consensus omnem de eorum origine dubitationem tollet. Atque scholia in Dionysium Thracem cum ut inspiciantur vel eo monemur, quod eadem cum Latino grammatico argumenta tractant, tum exoptatissima nobis argumenta ad enucleandam illam quaestionem subministrant. Vide enim ipse: nam cum in his quasi in cardine tota nostra disputatio vertatur, cuiusque argumenti exempla proponere non veritus sum.

De vocis definitione idem disserunt Priscianus I, 1, 1

(p. 537 P.) et scholia Dion. p. 770, 21 sqq.; neque minus 'de eius differentiis', quas quattuor esse sic praecipit ille l. l.: 'inveniuntur igitur quaedam voces articulatae, quae possunt scribi et intellegi. — Quaedam quae non possunt scribi, intelleguntur tamen. — Aliae autem sunt, quae quamvis scribantur, tamen inarticulatae dicuntur, cum nihil significant. Aliae vero sunt inarticulatae et illiteratae e. q. s.' Quas paullo brevius ita significant scholia p. 771, 7 sqq.: ἰστέον δὲ ὅτι τῶν φωνῶν αἱ μὲν εἰσιν ἑναρθροὶ καὶ ἐγγράμματοι — αἱ δὲ ἀναρθροὶ καὶ ἀγράμματοι. — αἱ δὲ ἀναρθροὶ μὲν, ἐγγράμματοι δέ. — αἱ δὲ ἑναρθροὶ μὲν, ἀγράμματοι δέ. — Cf. p. 677, 5, sqq. '

Syllabae vero, quam Dionysius σύλληψιν συμφώνου μετὰ φωνήεντος ἢ φωνήεντων vocavit, definitionem emendatam exhibent Priscianus et scholia, ita ut adiciant verba 'ὑφ' ἑνα τόνον καὶ ἓν πνεῦμα ἀδιαστάτως ἀγομένη' — 'sub uno accentu et uno spiritu prolata'. Cf. schol. p. 819, 28 et Prisc. II, 1, 1 (p. 565 P.). Item τὴν λέξιν cum Dionysius μέρος ἐλάχιστον τοῦ κατὰ σύνταξιν λόγου esse dicat, scholia vitiosae isti definitioni demonstrant p. 837, 6 (cf. 836, 27) addendum esse 'νοητόν τι σημαῖον'. Quibus consentiens Priscianus II, 3, 14 (p. 573 P.) sic loquitur: 'dictio est pars minima orationis constructae, id est in ordine compositae. Pars autem, quantum ad totum intellegendum, id est ad totius sensus intellectum'.

Hic igitur summus illorum consensus, quid sibi vult? Alterum usum esse altero cum non probabile sit, is apertissimo nobis indicio est, ex eodem fonte quae illa de voce et de syllaba et de dictione praecipunt derivata esse. Quoniam autem illum fontem in ceteris capitibus librisve nusquam non Apollonium fuisse sat multis exemplis probavimus, neque in his alius is fuisse putandus est.

Quid vero? inquires: quem Apollonii librum illos adhibuisse putas, cum nullius nobis Apollonii libri vestigium relictum sit, in quo de hisce videatur agere potuisse. Audio. Verum dum

modo ex Apollonio illa fluxisse persuasum habeas, proclivis est coniectura, librorum ex quibus ea deprompserunt Priscianus et scholiastae Dionysii Thracis oblitteratam esse memoriam, ut eam nos demum resuscitemus. In qua re audacius sane, quam prudentius ageremus, si nulla esset iusta dubitatio, quin omnium quos Apollonius exaraverit librorum tituli ad nos pervenerint. Nunc vero Suidas, cui potissimum horum notitiam acceptam referimus, apertis arguitur testimoniis quamvis copiosum tamen non integrum eorum indicem tradidisse. Deest enim in eo vel liber *περὶ ἀντωνυμίας*, quem ipsum etiam nunc in manibus habemus; desunt libri *περὶ ὑποτακτικῶν*, *περὶ προσακτικῶν*, *περὶ πνευμάτων*, *περὶ χρόνων*, ad quos ipse Apollonius relegat. Nam persaepe occasione oblata suos ipsius libros commemorat. At eum non omnes laudasse ut verisimile est, ita Suidae testimonio vincitur. Et ne existimes, quos uterque, Suidas et Apollonius, titulos nominaverit in unum congestos, integrum nobis indicem praestare: operis quod *περὶ πτώσεων* inscriptum erat cognitio ex anecdoton Oxoniensium brevi tantum, sed minime dubia mentione pendet. Argumentum igitur quoddam ab Apollonio peculiari vel libro vel capite inillustratum esse etsi tituli nobis servati non produnt, tamen contendere licet, dum modo id ut contendamus, sanae rationis quasi necessitas nos cogat. Sanissimam autem rationem inesse illi Prisciani scholiorumque consensui nemo opinor negabit. Huc accedit, quod ratio qua Priscianus institutiones confecit, aliam illorum praeceptorum originem dissuadet. Nam quem doctrinam suam grammaticam omnem ex Apollonio sumpsisse cum ipsius verbis doceamur, tum in pluribus libris conlacione facta adpareat, is non potest non existimari etiam paucas quae de voce de syllaba de dictione agunt partes accepisse ab eodem illo Apollonio: praesertim cum eae neque ipsius ingenio tribui possint neque Herodiano neque sine summa improbabilitatis specie alii grammatico. Et sic, ut iam habeas quod efficere volumus, non veremur statuere, Apollonii ex-

tilisse libros, qui vel peculiariter vel singulis capitibus *περὶ φωνῆς*, *περὶ συλλαβῆς*, *περὶ λέξεως* inscripti fuerint.

IV.

Firmam quidem puto ab omni parte coniecturam nostram. Quare consulto argumentum ei utilissimum, quod Dion. Thr. scholia p. 730, 5 subpetitant, nunc praetermitto, ut mox eo, quippe cuius vis latius pateat, iam maiore fructu utar. Ut igitur uno verbo quae adhuc assecuti nobis videmur comprehendamus: Priscianus in omnibus institutionum libris con-
ficiendis doctrinam grammaticam tantum non omnem duxit ex Apollonio. Quid vero in universo institutionum corpore disponendo? etiam in eo alius se addixit consilio an suo indulsit? Nam non temere quae tractat argumenta sese excipiunt, sed ad firmam rationem ex ipsorum natura petitam ita digesta sunt, ut a voce incipiens per litteram ut minimam linguae partem ad syllabam et dictionem progrediatur, deinde orationis eiusque partium doctrina exposita singulas has partes inlustret, denique constructionis disciplinam docens totius operis cum finem faciat, tum quasi summam comprehendat. Sane hunc ordinem, cum aliquanto attentius perpendenti ex ipsis argumentis quasi sponte prodeat, fieri potuit, ut Priscianus et ipse inveniret et ad eum libros suos disponeret. Sed minime quidquid fieri potuit, credibile est. Quod cum maxime in hanc ratiunculam cadit, quam et Prisciani et eius institutionum ingenium prorsus respuit. Sed ne opus fuit quidem illum ordinem invenire, inquis; ut enim in ipsa re positus, ita iam ante Priscianum a quoque artis grammaticae scriptore est adhibitus. Et similem ordinem re vera apud omnes, qui huic arti conscribendae operam navaverunt, deprehendere licet: eundem quoad sciam apud neminem. Compara exempli gratia Dionysii Thracis, qui primus huiusce modi operis consilium iniit, *τέχνην γραμματικὴν*: non praecipit quidquam aut de voce, qua incipit Priscianus, aut de constructione, qua desinit ille. Plures enim conferre

nihil interest. Et enim nunc quaerimus, ex ratione, qua Priscianum in singulis libris versari videmus, quid tandem de totius operis consilio probabile sit. Atque statim animum subito suspitio, unde cuiusque partis perficiendae rationem acceperit, inde eum etiam cepisse consilium, quo ut omnes hae partes in unum corpus coalescerent sanissima cura studuit. An existimas, cum iam tales institutiones exarare constituisset, eum fortuito cuiusque argumenti quod inlustrandum fuit exemplar ad imitandum sibi optatissimum invenisse apud unum Apollonium? Anne verisimile tibi videtur, cum huius Graeci grammatici tantum non omnes libros, quorum quidem argumenta linguae Latinae convenirent, reddere in animum induxisset, cum perspexisset, facile illos ex certa ratione redigi posse in unum corpus? Utrumque permirum foret. Neque probabile quidquam nisi id quod significavimus, Priscianum ut in singulis libris componendis ita in totius operis consilio sibi exemplar proposuisse Apollonium. Nec, quid valeant haec quae dixi, nescio. Nam cum Apollonii librorum non solum coagmentationis, sed ne certi quidem ordinis a quoquam mentio facta sit, aut quod contendimus ut inane futileque deserendum est, aut in eo si persistendum videtur, vel inviti ad audacem coniecturam cogimur, illius libros, quos quidem Priscianus imitatus sit, a scriptore ipso in unum corpus convinctos fuisse et eodem quidem ordine, quo institutiones eos grammaticae exhibeant. Atque licet audacissima ea videatur, tamen minime est reiectanea. Quodque enim argumentum, quo ad integram artem grammaticam opus esset, cum ab Apollonio absolutum esse compertum sit, cuique opinor probabilius videbitur, ex uno consilio cum se accinxisset ad omnia illa singula perficienda, quam casu quodam sane mirando factum esse, ut modo huic rei modo illi animum advertens iustum grammaticarum disciplinarum orbem persolveret. Sed temerarium videatur forsitan ex huiusce modi disputationibus vel coniecturam captare vel coniecturae iam captatae fidem quaerere. Nec proposuissem quid senti-

rem, nisi, quae idem vel diserte suaderent vel minime probarent, indicia sat certa apud ipsum Apollonium deprehendere liceret. Quae si conligo diligentius accuratiusque perpendo, non vereor, ne plura quam par sit in hac re proferre videar, cum ex eis potissimum eorum quae disputo probabilitas suspensa sit.

V.

Prius vero quam ipsam rem aggrediamur, id quaeso teneas, nihil interesse, utrum eundem ordinem atque a Prisciano observatum in disponendis libris ab Apollonio an in unum corpus hos convinctos fuisse persuaseris. Omnino enim non possunt certo ordine plures libri disponi nisi in unum corpus comprehensi. Sin corpus extitisse exploratum erit, inde profecto cogetur, ut illo ordine, quippe qui unus ex rerum natura probari possit, sese exceperint. Ad ordinem autem indagandum cum summum praesidium in eo paratum esse soleat, quod certis verborum formis alius in alio liber laudatur: ex eis apud Apollonium nihil posse conligi iam monuit Car. Lehrsius quaest. epic. p. 38: nam, ut exemplo utar, quoniam ad librum π. *συντάξεως* relegamur in uno libro π. *ἐπιφῶ.* modo futuro *δεδειξεται* p. 530 modo perfecto *ἐκτεθείμεθα* p. 532, non habes, quo pro firmo argumento utare. Missis igitur nunc omnibus locis ubi simpliciter tantum aliud opus commemoratur, ea tantum spectemus, quibus aliquanto maior testandi vis inest.

Atque opus *περὶ συντάξεως* compositum esse post libros de singulis orationis partibus agentes intellegimus ex eius ipsius initio: *Ἐν ταῖς προεκδοθείσαις ἡμῖν σχολαῖς ἢ περὶ τὰς φωνὰς παράδοσις — — — κατείλεται.* Nam *τὰς φωνὰς* significare 'orationis partes earumque etymologiam' eo indicat grammaticus, quod eis opponit quam nunc tractaturus sit *τὴν ἐκ τούτων γενομένην σύνταξιν εἰς καταλληλότητα τοῦ αὐτοτελοῦς λόγου.* Et ne quid dubii relinquatur, idem peculiariter traditur de duabus partibus. Ad librum enim *περὶ*

ἀντωνυμίας relegamur ita p. 98, 15: ἐπεδείξαμεν ἐν τοῖς προεκδοθεῖσιν ὡς αἱ τοιαῦται τῶν ἀντωνυμιῶν κτλ., et p. 331, 9 κατὰ σοῦ, περὶ σοῦ· διὰ τί δὲ μετὰ ὀρθῆς τάσεως, ἐν τοῖς προεκδοθεῖσιν εἴρηται. Spectant autem haec ea quae leguntur π. ἀντ. p. 292 C et 312 C; nam ne altero loco significari ipsum π. συντάξεως opus p. 127, 7 sqq. conicias inde, quod ibi de vi, quam praepositiones in pronominum accentum exerceanl, agitur: eo loco obiter tantum res tangitur, non explicatur ratio.

De libris περὶ ῥήματος extat testimonium p. 231, 15: οὐ λέλησμαι ὡς ἐν ἑτέροις συμφερόμενός τισι τὴν ὀριστικὴν ἔγκλισιν παρεδεχόμεν ὡς πρωτεύουσαν τῶν ἄλλων (nunc enim primum verbi modum non putat indicativum, sed infinitivum). Quod videtur subobscurum: at videtur tantum. Nam licet neque dixerit de quo cogitarit libro grammaticus neque liber in quo ista doctrina reperiat ad nos devenerit, tamen in opere περὶ ῥήματος de modorum ordine illud disputatum fuisse cum coniectura certa assequi liceat, tum argumentati sumus supra ex certiore testimonio Prisciani, qui illam nobis disputationem servavit in libris qui de verbo agunt (VIII, 12, 63 p. 819 P.).

Aperta sunt haec testimonia, ea quidem pauca, nec vero contemnenda: cum inde id certe effectum sit, ut quae in ipso Apollonio extant testimonia non repugnare persuasum habeamus Prisciani ordini. At non neglegendum videtur indicium paullo reconditius. Et enim in Constructionis limine p. 3, 8 sqq., eadem Apollonius dicit accidere litterae syllabae dictioni orationi, atque hoc cum pluribus probare conetur exemplis, eundem semper ordinem observat, ut ab littera profectus per syllabam et dictionem ascendat ad orationem. Quae ita tantum convenienter disputata sunt, si eodem illa argumenta ordine perstrinxerat grammaticus. Ineptius enim ageret, qui post orationem demum de littera de syllaba de dictione expositurus tamen harum comparatione inlustraret orationis leges. Et licet fortasse vestigium

Apolloniani ordinis in Prisciano delitescens protrahere. Qui ita incipit XIV librum de praepositione agentem (p. 973 P.) *‘Itaque cum bene mihi videantur praepositionem ceteris indeclinabilibus Graecorum doctissimi praeposuisse, et maxime Apollonius, cuius auctoritatem in omnibus sequendam putavi, ego quoque ab ea incipiam’*. Quae verba ut scriberet, Priscianum non improbabile est eo permotum esse, quod Apollonium in praepositionis initio dicentem videret, se ideo ex indeclinabilibus primum de hac dictione agere, quod eam ut aliorum ‘doctissimorum’ consensus ita ipsa ratio primam esse illarum persuaderet.

VI.

Mira autem ista ratio qua in eodem libro Apollonius aliud opus et perfecto et futuro laudavit, ut alios deterruit ne quid certius de ordine constituere auderent: ita, nisi omnia nos fallunt, indicium subministrat, quod plurimum ad sententiam nostram confirmandam valet. Sed ut ipse diiudicare possis, locos qui ad eorum qui servati sunt librorum aliquem nos relegant, quam plenissime conquisitos subscribam, atque ita quidem, ut verbi formam, qua usus est grammaticus, adponam:

liber de adv. citatur libri de constr. citantur

π. συντ. 204, 10 ἐξεθέμεθα	π. ἐπιρῶ. 530, 29 δεδειξεται
235, 9 ἐξεθέμεθα	532, 6 ἐκτεθείμεθα
(ann. Bekk.) 616, 30 εἶπομεν	532, 31 ἀποδιδοται
622, 27 εἶρηται	535, 25 εἶρησεται
π. συνδ. 499, 2 παραδίδοται*)	542, 12 ἀποδώσομεν

liber de pron. citatur liber de coni. citatur

π. συνδ. p. 491, 12 ἐξε[θέμ]ην	π. ἐπιρῶ. 543, 18 ἐξεθέμεθα
π. ἐπιρῶ. p. 552, 3 εἶρηται	543, 26 ἤκριβώθη
557, 29 δείκνυται	564, 29 δείκνυται
592, 3 δείκνυται	π. συντ. 266, 24 παρεστήσαμεν
612, 18 εἶρηται	319, 5 ἤκριβώσαμεν

*) Quibus locis adde π. συνδ. p. 481, 7 et 488, 15, ubi non dubium est quin codicis lacunae sic supplendae sint: [ἐν τῷ περὶ ἐπιρῶν]των, ἐν τῷ ἐπεδείξαμεν, et ἐδείξαμεν ἐν τῷ [περὶ ἐπιρῶν]ημάτων.

Quae enim difficillima expeditu videtur, est illa ratio, quae inter librum π. ἐπιρῶ. et libros π. συντ. intercedit. Ratione enim non minus certa hos ante illum exaratos fuisse e perfecto, quo ad eos π. ἐπιρῶ. p. 532, 6 recurritur, consequi videtur, quam illum ante hos tum ex futuro, quo in eo referimur ad Constructionem, tum ex perfecto aoristoque, quibus Adverbii mentio fit in his libris. Seu igitur constructionem seu adverbium prius inlustravit, — nam nunc in illum tantum temporum usum animum attendens nil curo verum ordinem — pro certo habendum est, tempore praeterito grammaticum usum esse in librorum nondum conscriptorum mentione. Nam id prorsus reieclaneum est, existimare eodem tempore grammaticum in pluribus aut adeo plerisque operibus occupatum fuisse: ita ut modo huic modo illi vacans necessario in temporum varietatem incidere deberet. Vel inde quod in uno libro vocabula quaedam quasi amplexatus est, quae in aliis non occurrunt, velut Skrzeczka καταγίνεσθαι 'versari in aliqua re' alienum ab libro π. ἀντωνυμίας sexcentiens reperiri in libris π. συντάξεως monuit in programm. gymn. Regiomontani urbici p. 14, adparet diverso tempore cuique scripto eum operam navasse. Nec vero id, quod forsitan quispiam, quia per se commendabile videatur, opinetur, ullo modo probari potest: Apollonium libros conscriptos in scrinio relinuisse usque dum omnes absolvisset, atque ita factum esse, ut, cum eos perpoliens corrigensve semper, sicubi praeceptum etiam in alio libro tractatum subcurreret, id indicare vellet, nulla temporis quo composuerat ratione inita modo praeteritum modo futurum poneret. Deinceps enim singulos editos esse manifesto evincit illud προεκδιδόναι verbum in libris π. συντ. de ceteris, ut supra vidimus, usurpatum, et tam quidem manifesto repugnat, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Quod si persuasum habebis, iam unam tantum rationem excogitare poteris, qua istam temporum difficultatem expedias. Ut enim concedas, illa opera, quamvis pro se quodque absolutum esset, tamen partes fuisse

unius corporis. Sic enim grammatico ad aliud opus, quod demum scripturus erat, ita perfecto lectorem relegare licuit, ut ad opus iam perfectum futuro tempore, cum lectorem sibi animo informaret conlectionem illorum operum manibus terentem: qui igitur et quod postea demum exaratum esset, tamen absolutum in manibus habiturus et fortasse quod antea editum esset, nunc demum hac mentione monitus lecturus esset. Cui rationi optime convenit, quod saepe etiam praesenti in citando utitur grammaticus. Quippe cui tempori in hac re non locus esse posse videatur, nisi in eodem libro aut eiusdem quasi corporis libro quodam. Nam si exempli gratia *δείκνυται* forma *π. ἐπιρῶ.* 592, 3 prius editum librum *π. ἀντων.* significat grammaticus, praesentem lectori fore hunc librum manifestum est eum sperasse.

Cum vero semel rem tetigimus, inquirere quo modo illa tempora se ad ordinem supra a nobis constitutum — qui librorum extantium hic est: *π. ἀντωννμίας*, *π. ἐπιρῶήματος*, *π. συνδέσμου*, *π. συντάξεως* — accomodent, ut non a re esse videtur, ita adeo necesse est, ne scrupulum, qui residet, callide occultasse videamur. Praesens igitur adhibetur ad librum iam editum significandum *π. ἐπιρῶ.* 592, 3; *π. συνδ.* 499, 2; ad librum nondum compositum *π. ἐπιρῶ.* 532, 31; 564, 29. Perfecto recurrit grammaticus ad librum prius vulgatum *π. ἐπιρῶ.* 612, 18; 622, 27; ad librum, qui demum conscribendus fuit *π. ἐπιρῶ.* 532, 6, *ἐκτεθείμεθα*: quod, si in nostram sententiam ieris, non erit, cur mireris. Et consentit, quod grammaticum *π. ἐπιρῶ.* p. 563, 21 posteriorem eiusdem libri partem (quae legitur 604, 16) significare videmus eodem *ἐκτεθείμεθα* perfecto. Nec neglegendum est, quod perfecto quamvis tempori praeterito tamen praesentis notio subest.

Futuro spectat opus, quod futuro tempore se conscripturn sperat *π. ἐπιρῶ.* 530, 29; 535, 25; 542, 12. Eodem tempore de libro antea absoluto cum usum esse ex eis quidem, quae ad nostra quattuor opera pertinent, nullum exem-

plum docet; at quinque loci evincunt, qui librorum deperditorum mentionem faciunt. Sunt hi: π. συντ. p. 49, 21 δε δε εἰξεται ἐν τῷ περὶ ὑποτακτικῶν. p. 246, 20 εἰρησεται ἐν τῷ ἰδίᾳ περὶ αὐτῶν (sc. ὑποτακτικῶν). π. ἀντων. p. 299 Β εἰρησεται ἐν τῷ περὶ συνθέτων. π. ἐπιρῶδ. p. 581, 4 εἰρησεται ἐν τῷ περὶ τῶν διεψευσμένων τόνων. p. 554, 22 ἐκθησόμεθα ἐν τῷ περὶ μετοχῶν. Atque his quoque ex ratione modo exposita excusatio probabilis parata est.

Rectissime autem aoristum ascivit de opere priore π. συντ. 204, 10; 235, 9; 266, 24; 319, 5; ann. Bekk. 616, 30. Restat, quod bis in libro π. ἐπιρῶδ. ad librum π. συνδέσμον, quamvis ex ordine nostro post illum conscriptus sit, tamen aoristo relegamur p. 543, 18 et 26 ἐξεθέμεθα et ἡκριβώθη. Quem ingenue fateor me non habere quo modo ita explicem, ut omnis dubitatio penitus tollatur. Quam enim perfecto ex eius notione praesentis in hac re paratam esse excusationem monui, ea non potest in aoristum cadere. Habeo equidem explicationem in promptu, nec eam quidem prorsus improbabilem, sed quae propter testimoniorum penuriam non persuadendi habeat vim. Sine dubio enim Apollonius, si per plures libros idem argumentum tractavit, non quemque librum pro se, sed omnes illos uno tempore vulgavit; velut quattuor libros π. συντάξεως, quinque libros π. ῥήματος, alios. Quod etiam Priscianum fecisse intellegimus ex prohoemio, quod sexto praefixit libro. Unde probabile fit, grammaticum nostrum etiam, cum plura argumenta, quae sese in ordine universi corporis exciperent, quodque unum tantum librum complecteretur, plures libros una emisisse, ut tres illos de dictionibus indeclinabilibus. Atque sic sane fieri potuit, ut in librum π. ἐπιρῶδ., cum eum post opus π. συνδ. conscriptum perlegeret corrigeretque, illos aoristos inferret. Aut potuit etiam re vera id quod illud tempus suadet, hos libros iusto ordine postea in lucem missos, conficere ordine inverso.

VII.

De hoc vero aoristi usu quem nunc non persequor quidquid statuendum est, id est certissimum, Apollonium et praesens et futurum et perfectum aequè ad provocandum librum iam conscriptum adhibuisse atque ad librum nondum inceptum. Atque ex certa hac re valde probabile fit, illa opera grammaticum voluisse non pro se quodque extare, sed in unum conlecta tamquam membra tantum corporis bene dispositi. Quod ut iam pro explorato habeatur, spero ex eis effectum iri, quae nunc disputaturus sum. Pergo enim ad notitiam rationis, qua Apollonius se ad libros suos conficiendos accinxerit: quoad eius et ex hisce ipsis et ratiocinatione fieri possit. Studium enim, quod in materia conquirenda digerendaque ponendum est, spectantis animum necesse est cogitatio subeat, quam difficilis sit grammatici conditio, praesertim cum cum compares cum philosopho, mathematico, historico. Nam innumerabiles undique in unum congerendae sunt voces earumque formae; congestae ex cognationis ratione quasi in gentes familiasque digerendae; harum quaeque, diligenter dispiciendum, in quo praecepto observando consentiat; nec minus quae formae praecepto communi refragentur et quam eae excusationem habeant. Quibus demum ad liquidum perductis licet rationem indagare, ad quam omnia ordinanda sint. In qua re operam sibi ipse auxit Apollonius eo, quod omnia similium comparatione inlustrabat. Ita π. ἐπιϕῶ. p. 555, 29 et 556, 4 iam decurrit ad doctrinam de adverbii in ω exeuntibus, quam plenius tractaturus est p. 578, 18 sqq. et p. 580, 15; ita p. 588, 22 iam disputationem de οἴχοθεν adverbio indicat, quam p. 605, 25 invenimus; ita se de ὄταν forma locuturum esse profitetur p. 568, 27. Quae exempla sufficiunt, ut grammaticum adpareat non prius perscribere librum coepisse, quam indicem sibi et praeceptorum et vocabulorum tractandorum copiosissimum parasset. Quid vero, si eodem modo significat quae in alio opere

postea demum conficiendo docturus sit? Nam librorum π. συντ., quorum posteriorem editionem non posse addubitari vidimus, quinquies in libro π. ἐπιφύ. ita mentio fit, ut non simpliciter se eos conscripturum esse dicat, sed accurate diserteque singulas quasdam leges de quibus disputaturus sit denotet. Quae hae sunt: p. 530, 29 nomen et verbum esse τὰς θεματικωτέρας partes orationis; p. 532, 6 ὅς pronomen etiam pro εἰ τις usurpari; p. 532, 31 quo modo adverbium iungatur cum participio; p. 535, 25 utrum adverbium ante verbum ponendum sit necne; p. 542, 12 quae sit infinitivi notio. Quae omnia necessario nos cogunt, ut Apollonium iam eo tempore, quo librum de adverbio, qui prior est opere de constructione, perscribere inciperet, etiam hoc opus ita praeparatum habuisse existimemus, ut quas in eo et leges et voces tractaturus erat omnes certo consilio statuisset.

Idem cadit in alios libros. De servatis testimonia in promptu sunt. Quod ad deperditos adinet, nil certi afferri potest. Quamquam de eis, qui doctrinam partium orationis explanant, probabilem coniecturam vel ex tribus libris, quos de illis in manibus habemus, capere licet; et de quibusdam confidentius affirmare propterea, quod grammaticus ad eos vel praesenti nos relegat — qui hi sunt π. ὀρθογραφίας, π. τόνων, π. ῥημάτων, π. σχημάτων, π. προστατικῶν — vel modo praeterito tempore modo futuro, qui hic est π. μετοχῶν. At qui omnes huc pertineant, nunc nil interest quaerere. Quotquot enim sunt, certe id statuendum est, Apollonium in permultis suis libris absolvendis ita versatum esse, ut non prius ullum eorum conficere coepisset, quam omnium materiam et diligenter conquisitam et bene dispositam habuisset. Quam rationem servare permirum videtur. At causa in propatulo est. Sicut enim pictor solet quidem tabulam quamque, simulatque eam adumbravit, colorare et perficere, sed complurium tabularum orbem compositurus istum morem abicit et omnium demum lineamentis propositis colores singulis adhibere incipit: ita etiam Apollonius corpus confectu-

rus permultos libros comprehendens, non modo potuit eo adduci, sed necessario coactus fuit, ut primum, quae per omnes illos expedienda essent, et conligeret et digereret atque tum demum singulis perscribendis operam navaret. Nam hac tantum ratione fieri potuit, ut cum quodque ei loco cui maxime par esset adsignaret, tum in omnibus libris sibi constaret, tum quae postea demum in alio opere docturus esset, accurate indicaret.

VIII.

At percenseamus iterum breviter argumenta a nobis prolata, ut, quantum probabilitatis summae sententiae nostrae insit, perspicue intellegatur. Priscianus igitur in componendis institutionibus grammaticis ut certis testimoniis convincitur de quoque argumento materiam disputandi sumpsisse ex Apollonio, ita non potest non existimari etiam ab eodem accepisse universi operis consilium. Quod ut persuasum habeamus, coniciendum est extitisse Apollonii corpus librorum grammaticorum, in quo Priscianus omnia sua argumenta invenit eo ordine illustrata, quem ipse observavit. Cui coniecturae cum non obloquatur quod de ordine Apollonianorum operum indagari potest, tum adstipulatur ratio, quae si ab uno eodem scriptore omnia ad iustum orbem grammaticae artis necessaria tractata sunt, ea etiam eo consilio scripta esse suadet, ut unius corporis partes sint; tum discrete consentit ipsius grammatici ratio citandi, et quod temporum usum adinet et quod inde de modo quo confecerit libros suos conligi potest. Quibus omnibus etiam id probabilitatis accedit, quod in iunctis et quasi in orbem consistentibus esse solet.

Haec igitur argumenta nos eo adducunt, ut confidenter pronuntiemus, Apollonii extitisse corpus librorum grammaticorum, cui ex eius libris certe adsignandi sint, quorum Priscianus imitationes recepit in collectionem suam. Atque id corpus, si modo titulus ex argumenti natura erui potest,

non aliter inscriptum esse potuit, quam *τέχνη γραμματικῆ*. Quod ipsum nomen diserte legitur schol. Dion. Thr. p. 920, 14: — αἱ βιωφελεῖς τέχναι τῶν μεγάλων τεχνογράφων Ἡρωδιανοῦ καὶ Ἀπολλωνίου. Atque tam manifestum est hoc testimonium, ut iure possis quaerere, quid tandem tam longa opus fuerit disputatione ad probandum quod hoc uno loco provocato demonstraretur. Et certe ab eo ordiendum fuit et alia argumenta ad eum tantum finem adnectenda, ut inde quam certum verumque esset illud testimonium adpareret: nisi eius conditio talis esset, ut eo pro fundamento disputationis nostrae uti temerarium fuisset. Nam movet iustam suspicionem, quod etiam Herodiani *τέχνης* mentio fit: quam non modo nemo alius commemoravit, sed ne potuisse quidem existere nobis persuadet scriptorum huius grammatici indoles. Quamquam et ab Suida Herodianus ὁ τεχνογράφος laudatur: Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεὺς, ὁ κληθεὶς Ἀύσκολος, πατὴρ Ἡρωδιανοῦ, τοῦ τεχνογράφου γραμματικοῦ (Eudociae scriptura est τοῦ τεχνογράφου καὶ δαιμονίου τῆς γραμματικῆς). Quare statuendum videtur, *τέχνης* notionem tam late patuisse, ut quodque significaret scriptum, quod omnino rem grammaticam ex severioris disciplinae legibus inlustraret; atque sic etiam qui eiusmodi *τέχνην* scriberet, adpellatum fuisse *τεχνογράφον*. Ut illis verbis quae ascripti non maior sit testandi vis, quam eis, qui Apollonium praedicant τὸν τεχνικόν: ann. Bekk. p. 1285 καὶ λέγει ὁ τεχνικός Ἀπολλώνιος, ὅτι κακῶς λέγουσι κτλ. — p. 1286. πρὸς οὓς πάλιν ὑπαντᾷ ὁ τεχνικός Ἀ. κτλ. p. 1340 s. v. ἀριθμητικὰ λέγει ὁ Ἀπολλώνιος ὁ τεχνικός κτλ. Plus potius tribuerim Prisciani testimonio, a quo Apollonius *summus* (altero loco *maximus*) *auctor artis grammaticae* adpellatur p. 833 et 910 P.

At Apollonii *τέχνης γραμματικῆς* nomen, non opinor dubitabis, qui respiciant scholia Dionysii Thracis, cum hunc grammaticum manifesto inter eos *τεχνογράφους* referant, qui iustae artis grammaticae scriptores sint. Verba haec sunt p. 730, 5: quae iam supra significavi quidem, sed

neque excripsi neque quem uberem fructum disputationi nostrae afferant exposui: τῶν τεχνογράφων οἱ μὲν ἀπὸ λόγου ἤρξαντο, οἱ δὲ ἀπὸ ὄρου· εἰσὶ δὲ καὶ ἀπὸ φωνῆς ἀρξάμενοι, ὅπερ καὶ ἄμεινον· εἰ γὰρ ὕλη γραμματικῆς λέξις, αὕτη δὲ συνέστηκεν ἐκ συλλαβῶν, αἱ δὲ συλλαβαὶ ἀπὸ στοιχείων, τὰ δὲ στοιχεῖα ἢ πρώτη καὶ ἄτομος τοῦ ἀνθρώπου φωνῆ ὑπάρχει, δῆλον ὡς ἀπὸ τοῦ ἀρχετύπου καὶ πρώτου αἰτίου ἀρχεσθαι δεῖ, τῆς φωνῆς. Fuisse omnino Apollonium inter eos artium grammaticarum scriptores, qui a voce inciperent, iam inde conlegimus, quod Priscianus idem fecit. Sed etiam de eo cogitandum esse, cum ab scholiis qui ita artes suas inceperint comprobentur, ut vel propterea verisimile est, quod praecipuum eorum studium in Dionysii doctrina corrigenda ex praeceptis Apollonii consumitur; ita probatur eo, quod quae postea de voce disputant p. 770, 21 sqq. nostri grammatici doctrinam esse ex eorum Priscianique consensu evicimus.

IX.

Sed ne rem, ad quam absolvendam quae via tenenda sit significare conatus sum, videar deseruisse, reliquum est, ut librorum quos Apollonius scripsit cum indicem quam integerrimum conficere studeam, tum qui τέχνης fuerint partes, investigem. Qua in re proficiscendum est a Suida, qui unus titulorum conlectionem nobis reliquit. Is igitur quos exhibet, eodem ordine subscribam: ita vero, ut, si cuius libri notitia etiam aliunde ad nos pervenerit, id fontibus commemoratis moneam.

Περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν, βιβλία τέσσαρα.

Περὶ συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν ὅτι qui adhuc exstant.

Περὶ ῥήματος, ἦτοι ῥηματικόν, ἐν βιβλίοις πέντε. cfr. schol. Dion. Thr. p. 672, 34. — περὶ ῥημάτων vocatur π. συντ. p. 71, 15 et 207, 28.

Περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων παρα-
γῶγων, βιβλίον ἔν.

Περὶ ὀνομάτων (sic Kuest. pro ῥημάτων), ἦτοι
ὀνοματικόν, ἔν.

Περὶ ὀνομάτων κατὰ διάλεκτον.

Περὶ τῆς ἐν Θηλυκοῦς ὀνόμασιν εὐθείας, ἔν.

Περὶ παρωνύμων ἔν.

Περὶ συγκριτικῶν.

καὶ Περὶ διαλέκτων, Δωρίδος Ἰάδος Αἰολί-
δος Ἀτθίδος Grammaticus ipse ad librum περὶ Ἰάδος re-
legat ann. Bekk. p. 624, 8.

Περὶ σχημάτων Ὀμηρικῶν.

Περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας, cuius operis
de grammaticis scriptis disserentes rationem non habebimus.

Περὶ παθῶν, cuius libri mentio fit π. ἐπιρῷ. p. 567;
15; 568, 8; 580, 29.

Περὶ τόνων κατηναγκασμένων βιβλία δύο, lau-
data ab Choerobosco ann. Bekk. p. 1246.

Περὶ τόνων σκολιῶν, βιβλίον ἔν.

Περὶ προσφδιῶν, ε΄.

Περὶ στοιχείων.

Περὶ προθέσεων.

Περὶ τῶν Διδύμου πιθανῶν.

Περὶ συνθέσεως, qui idem liber haud scio an ac-
cipiendus est pron. p. 299 B, ubi περὶ συνθέτων titulus ex-
hibetur. At potest hoc titulo etiam pars τοῦ ὀνοματικοῦ respici.

Περὶ διαφορουμένων, ut Portus codicis scriptu-
ram ἑδιαφορουμένων emendavit.

Περὶ τοῦ Τίς.

Περὶ γενῶν, qui liber commemoratur π. συντ. p.
23, 20 et 25, 18.

Περὶ πνευμάτων, item π. συντ. p. 319, 25. —
Nec de alio libro cogitandum videtur, si π. ἐπιρῷ. p. 612, 20
citatur περὶ δασείας καὶ ψιλῆς et π. ἀντ. p. 72 B περὶ
δασείας.

Περὶ κτητικῶν.

Περὶ συζυγίας.

Qui index, non satis demirari possis, quanta negligentia paratus sit. Et enim quam longe absit ut omnes comprehendat titulos, iam supra monui: nam ex quattuor quae adhuc habemus grammaticis scriptis unum tantum commemorat. Quos vero libros commemoravit, eos ita confudit, ut universorum operum titulos cum indicasset, eorundem exhiberet singulos libros capitave, quasi haec pro se extitissent. Velut nemini opinor persuasum erit, *περὶ τῶν εἰς μι ληγόνων ῥημάτων παραγωγῶν βιβλίον ἐν* vel quem ultimum affert librum *περὶ συζυγίας* non fuisse partes τοῦ ῥηματικῶν ab eo ipso laudati.

Sed hanc rem priusquam accuratius indagemus, id agendum, ut aliunde quam e Suida quorum librorum notitia prodeat, circumspiciamus. Et primum quidem eos ascribam, quos etiam nunc legere licet. Qui sunt:

Περὶ ἀντωνυμίας. Sic enim inscribitur in codice. At quinquies cum eius in aliis Apollonii libris mentio fiat, semper *περὶ ἀντωνυμιῶν* adpellatur. Ut facile quispiam coniciat idem in libri inscriptione restituendum esse. Cui suspicioni ne obtemperemus, id nos prohibet, quod cum ipsum grammaticum in libris suis citandis sibi non constare interdum liceat observare, etiam ista tituli diversitas non e codicis depravatione petenda esse videtur. Etenim *περὶ μετοχῶν* cum sex locis laudet in scriptis suis Apollonius, semel *περὶ μετοχῆς* nominat *π. συντ.* p. 302, 3. Atque idem cadere videtur in opus *π. ῥήματος*, quod ita ab Suida inscriptum grammaticus ipse *π. συντ.* p. 71, 15 adpellat *π. ῥημάτων*. Ne igitur in eo offendas, quod *περὶ συνθέσεως* et *περὶ συνθέτων* titulis non aliter quam *περὶ πνευματων* et *περὶ δασείας καὶ ψιλῆς* titulis idem designari opus putavimus.

Περὶ ἐπιρῶν ῥημάτων.

Περὶ συνδέσμων.

Sequentur nunc ei libri, quorum titulos a Suida omissos ipsi Apollonio debemus.

Περὶ προστακτικῶν π. συντ. p. 71, 5.

Περὶ μετοχῶν π. συντ. p. 66, 3; 67, 19; 85, 10; 15, 23 et 302, 9 (ubi quidem π. μετοχῆς); 327, 23; 330, 3; π. ἐπιρῶ. p. 554, 25.

Περὶ ἄρθρων π. συντ. p. 30, 20; 111, 20; 306, 13.

Περὶ ὑποτακτικῶν π. συντ. p. 49, 26, qui titulus de articulo accipiendus est, contra de modo coniunctivo π. συνδ. p. 512, 15.

Περὶ σχημάτων π. συντ. p. 330, 12. π. ἐπιρῶ. p. 495, 31; 502, 16; 503, 8. π. ἀντ. p. 79 C.

Περὶ ὀρθογραφίας π. συντ. p. 272, 27.

Περὶ χρόνων π. ἐπιρῶ. p. 537, 22.

Περὶ τόνων π. συντ. p. 131, 1.

Περὶ τῶν διεψευσμένων τόνων π. ἐπιρῶ. p. 581, 4.

Consulto vero eorum locorum, ubi ad alium librum titulo ipso non indicato, velut verbis 'ἐν ἑτέροις', spectat grammaticus, rationem non habui, licet de quo sit cogitandum sat probabili coniectura assequi possimus. Nihil enim novi cum inde extricari possit, longum est omnia et percensere et pensitare. Quamvis ea ratione, singuli operum iam commemoratorum libri quos titulos habuissent, saepe dispiceretur. Velut e verbis quae habemus π. συντ. p. 246, 21: καὶ μάλιστα γὰρ ἐπὶ ἐνεσιῶτος καὶ μέλλοντος· διότι γὰρ οἱ παρωχημένοι οὐ παραλαμβάνονται ἐν ὑποτακτικοῖς, ἐν τῇ ἰδίᾳ περὶ αὐτῶν εἰρήσεται, libri περὶ παρωχημένων nobis cognitio redundat. Nam ad logicum quod vocant subiectum 'περὶ αὐτῶν' referendum est. Qui liber manifesto pars erat τοῦ ῥηματικοῦ. In quo etiam περὶ ὑποτακτικῶν (i. e. de modo coniunctivo), quem titulum forsitan quispiam putet in illis verbis delitescere, tractatum fuisse certum est.

Περὶ πτώσεων autem notitia libri tantum modo pendet ex anecd. Oxon. p. 329. Et quem ad modum, ut huius memoria resuscitetur, adhuc a nobis neglecta aliorum quam Apollonii Suidaeque testimonia, circumspeimus, ita non

praetermittendum est, quod ex ann. Bekk. p. 763, 25 sqq. conligi posse videtur, Apollonium etiam *περὶ στιγμαῆς* scripsisse. Eiusmodi enim libro tantum convenire videtur, quod legimus I. I. *ἐπὶ τοῦ ἡρώων· ἀὐτοὺς δὲ ἐλώρια εἰς τὸ ν τοῦ ἡρώων ἢ ὑποτελεία τίθεται διὰ τὸ ἐπιφέρεισθαι τὸν δέ. οὕτω γὰρ δοκεῖ τῷ ἡμετέρῳ γραμματικῷ, φημὶ δὲ τῷ Ἀπολλωνίῳ. *)*

X.

Hos igitur libros Apollonium scripsisse e certis testimoniis cognovimus. Quibus si addiderimus, quos ex titulis ratiocinando assecuti sumus: dico libros *π. φωνῆς*, *π. συλλαβῆς*, *π. λέξεως*: iam integriore indice parato licebit de altero vitio quo Suidam laborare diximus, ita agere, ut totam rem statim absolvamus. Et enim lexicographus iste plures exhibet titulos, qui non singularia opera, sed libros tantum modo vel etiam minores partes significant. Quo more ne Apollonius quidem ipse abstinuit. At ei id non vitio potest verti. Nam cum id modo ageret, accurate ut indicaret quo loco uberius eandem rem inlustrasset, citavit, ut exemplum afferam, *περὶ ὑποτακτικῶν*, si res id posceret, non totum *περὶ ἄρθρου* opus; sic ut *π. ἐπιρῆ*. p. 572, 29 et 577, 1 ad eiusdem libri partes relegat verbis *ἐν τοῖς περὶ τοῦ ἀέκητι* et *ἐν τῷ* (sic Skr.) *περὶ τῶν εἰς ἰ ληγόντων ἐπιρῆμάτων*. Sed non eiusmodi excusatio parata est Suidae, qui incautius sibi fidentem necessitate quadam obstringit errore, ut diversa putet opera esse, quorum alterum pars est alterius. Qua re investigemus, qui ex illis libris capitibusve quorum titulos congegimus ut eiusdem argumenti explanaverint partes, ita in unum volumen fuerint conligati. Nec quidquam dubitationis moveri potest, quin τῷ ῥηματικῷ ascribendi sint *περὶ συζυγίας* (*περὶ παραφρημέων*), *περὶ προστακτικῶν*, *περὶ τῶν εἰς μὴ ληγόντων ῥημάτων παραγῶγων*. Atque plures eiusdem et fuisse partes et quae

*) Cfr. Lehrs. qu. ep. p. 109.

fuerint sine multo labore potes ea ratione constituere, ut inde, quod grammaticus de verbis in *μι* desinentibus disseruit, neque verba pura, vel ex imperativi doctrina neque ceteros modos eum praeterisse conligas. Et de his quidem etiam in ipso Apollonio vestigia deprehenduntur non dubia. At talia cum vel solus τοῦ ῥηματικοῦ titulus evincat explanata esse ab Apollonio, melius videtur eorum modo rationem habere, quae disertis testimoniis laudantur. Nam rimari omnia quae grammaticus non potuerit non tangere in scriptis suis, illorum est, qui librorum deperditorum quasi imaginem quandam refingere totamque eius doctrinam restituere volunt.

Τὸ ὀνοματικόν in unius libri fines coartatum fuisse Suidas dicit. Quod cogitanti tibi quam accurate et copiose grammaticus noster de omnibus disputare consueverit, mirum necesse est videatur. Nec ullo modo credibile est, cum Priscianus septem fere totos libros in nomine inlustrando impenderit, tres modo in verbo, Apollonium qui verbo concesserit quinque, unum tantum dedisse nomini. Atque vix dubium est, quin τὸ ὀνοματικόν complexum sit *περὶ παρωνύμων, περὶ συγκριτικῶν, περὶ γενῶν, περὶ πτώσεων, περὶ τῆς ἐν θηλυκοῖς ὀνόμασιν εὐθείας*. Nec minus certum est *περὶ κτητικῶν* librum, cuius apud Suidam mentio fit, huc pertinere, sic ut de eisdem locuti sunt in Nomine et Dionysius Thrax p. 635, 3 sqq. et Priscianus, qui in prohoemio se declarat in secundi libri fine disputaturum esse 'de diversis possessivorum terminationibus et eorum regulis'. Nam de pronomi-
nibus possessivis cogitare vel id dissuadet, quod Apollonius certe *περὶ παραγῶγων* titulum inscripsisset. At *περὶ τοῦ Τίς*, quod commemorat Suidas, videri potuerit significare caput illud quod de hac voce legimus π. ἀντ. p. 293 A-296 B: quo edocemur *τίς* ita esse nomen, non pronomen ut *πόος πόσος*. Sed paucas has paginas quin indicari illo titulo negem, non possum animum inducere, praesertim cum maioris ambitus disputationem de eadem voce extitisse per-

suasum habeam. Solitus enim est Apollonius in quaque orationis parte disceptare de vocabulis, quae utrum illius essent partis necne dubitatum fuerat. Cf. π. ἀντ. p. 296 C — 303 A et π. ἐπιρῶ. p. 536, 25 — 556, 13. Atque quem ad modum ὤμοι esse adverbium π. ἐπιρῶ. p. 536, 28 sqq. probatur longiore disputatione, breviori vel adeo brevissima demonstratur π. ἀντ. p. 302 B 55, non esse pronomen: sic non dubito quin plene accurateque de τῖς voce grammaticus egerit in ea demum orationis parte, cui id ascripsit, i. e. in Nominē. Cui coniecturae etiam illud videtur aliquid probabilitatis afferre, quod eandem rem tetigit in nominis doctrina Priscianus II, 4, 16 et II, 6, 30 (p. 574 et 851 P.) Cf. schol. Dion. Thr. p. 871, 17 sqq. — Contra περι ὀνομάτων κατὰ διάλεκτον librum malim τῷ ὀνοματικῷ detrahēre. — Nec vero Suidae verba τὸ ὀνοματικόν ἐν' corrigenda videntur; sed eo lexicographus putandus est in errorem inductus esse, quod τὸ ὀνοματικόν' titulum, qui primo huius operis libro inscriptus erat, cum notasset, item secundi titulum libri quasi novi operis reciperet in indicem. Unde sane fieri potuit, ut illi iure suo unum modo librum tribueret.

Libri περι ἄρθρων pars fuit τὸ περι ἑποτακτικῶν.

Prosodiam vero, quamvis Choeroboscus tria habere genera doceat ann. Bekk. p. 403, 28 55 τῶν τόνων, τῶν χρόνων, τῶν πνευμάτων, tamen, cum plerumque quartum additum inveniamus τῶν παθῶν (cfr. schol. Dion. Thr. p. 676, 13 sqq. et 709, 3 sqq.) etiam Apolloniano operi περι προσωδιῶν tribuo haec: περι τόνων, περι σχολιῶν τόνων, περι κατηναγκασμένων τόνων, περι διεψευσμένων τόνων, περι χρόνων, περι πνευμάτων, περι παθῶν.

Σχήματα autem cum fuerint tria, ἀπλοῦν, σύνθετον, παρασύνθετον, in opere quod eorum nomine insignitum fuit, conlocandum est περι συνθέσεως sive περι σύνθετων. Sed περι σχημάτων Ὀμηρικῶν singularem malim librum haberi quam isti operi adsignari.

XI.

Quoniam igitur ab Apollonio et *τέχνην γραμματικὴν* fuisse compositam evicisse et qui omnino libri exarati fuerint inquisivisse videmur, pervenimus ad quaestionem gravissimam, qua huic disputationi finem imposituri sumus: ut demonstremus qui tandem illorum librorum conlocandi sint in arte grammatica atque eos ad ipsorum ordinem revocemus. Nam etsi omnes quorum imitationes in institutiones suas recepit Priscianus certissimum est cum in illa invenisse, tamen non esset caute considerateque agere, si etiam illos potuisset solos eius partes esse putares. Ut enim articulum quippe orationis partem non potuit non inlustrare Apollonius in arte sua, pedisequus necessario omittere debuit, utpote qui esset ab lingua Latina alienus: ita etiam alia plura Graecae grammaticae necessaria ab hoc e rei natura praetermissa esse non negare licet. Immo dum modo probabiles causae praesto sint, ne id quidem prorsus reiectaneum existimandum est, Latinum grammaticum ex exemplari suo etiam reiecisse, quae ut reiceret linguae suae natura non efflagitaret.

Primum igitur ut qui libri non in dubitationem vocari possint indicemus potius quam exponamus, et adsignandi sunt arti grammaticae quibus institutionum libri respondere videntur, *περὶ φωνῆς, περὶ στοιχείου, περὶ συλλαβῆς, περὶ λέξεως, περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν*, de octo partibus orationis, *περὶ συντάξεως*, et secludendi ab ea *περὶ ὀρθογραφίας, περὶ τῶν Διδύμου πιθανῶν, περὶ διαλέκτων*, nec minus ut videtur *περὶ ὀνομάτων κατὰ διάλεκτον* et *περὶ σχημάτων Ὀμηρικῶν*. Eos vero qui nunc relicui sunt, *π. προσφιδῶν, π. σχημάτων, π. διαφορομένων, π. στιγμῆς*, — si modo id scripsit Apollonius — si inquirimus, num ars grammatica comprehenderit, ea quaestio arte videtur coniuncta esse cum altera, eequem in hac locum occupaverint. Ut si cui operi non aptam dispicere sedem possis, vel id eius repulsam suadeat. Minime quidem haec ratio in libros *π. προσφιδῶν*

inscriptos cadit. Quos confidenter ascribo arti. Iubet enim manifesto locus scholiorum Dionysii, quem mox ipsum proposituri sumus: ubi quam Dionysius omiserit doctrinam *π. προσωδιῶν*, eam rite tractatam esse a posteriore artis scriptore edocemur. Quem fuisse Apollonium ut credamus, movet nos ratio, quam inter illum atque haec scholia intercedere vidimus. Et accedit, quod ad illos libros a grammatico relegamur modo praeterito, ut *π. συντ.* p. 319, 19, modo futuro, ut *π. ἐπιρῶδ.* p. 581, 4: cui temporum usui, si probatum est quod supra de eo disputavimus, necesse est concedas etiam hanc testandi vim subesse, quam ei in nostra re tribuimus. Atque eos in propatulo est cur neglexerit Priscianus. Nam tantum non omnia quae isti praeceperunt a Latina lingua verisimile est abhorruisse. Neque eis difficile videtur adsignare aptissimam sedem. Firmo enim auctore utimur, si audiamus scholia Dionysii Thr., cum p. 676, 3 haec doceant: — *ὁ Θροῦξ Διονύσιος — οὐκ ἀπὸ τῆς προσωδίας ἤρξατο, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἔρον τῆς γραμματικῆς· τὰ δὲ περὶ προσωδίας ἕτερός τις, τούτου μεταγενέστερος, διὰ τοὺς ἄρτι τῆς γραμματικῆς ἀρχομένους ἀναγκαιῶς ἐδίδαξε: δεῖ οὖν ἡμᾶς μὴ ἀπὸ τῆς τοῦ Διονυσίου τεχνολογίας τῆς ἐξηγήσεως ἄρξασθαι, ἀλλ' ἀπὸ τῆς προσωδίας· κτλ.* In his igitur verbis optimum paratum habebit praesidium, si quis coniecerit illo opere Apollonium τῆς τέχνης fecisse initium. Verum tamen ipse quominus in hanc sententiam pedibus eam, id unum me prohibet quod persuasissimum habeo ab voce incepsisse grammaticum. Ex Dionysii enim scholiis, quae Apollonium praedicant τὸν ἡμέτερον γραμματικόν, supra ascripsi verba, quae eos potissimum τεχνολογίους laudant, qui τῇ φωνῇ adsignaverint locum in artibus suis primum. Atque horum auctoritatem eo confidentius sequor, quod Priscianus idem institutionum principium exhibet. Si vero prosodiam a prima sede removeris, unus tantum restat locus, qui ci conveniat. Eam enim non prius adhiberi posse, quam existat ἡ λέξις, cui adhibeatur, ut ratio suadet, ita

exponunt illa scholia p. 709, 355 sqq. quorum summa his continetur verbis: *εἰ μὴ γὰρ προὔποθῆσομαι τὴν λέξιν, πῶς ἂν τὴν ἐπικειμένην ἀντὶ τῆς προσωπίδος τυπώσομεν*; Quare non inepte illud opus post *τὴν λέξιν* videtur inseri posse. Sed ne quis pluris me facere putet argumentationem meam, quam par sit: tam lubricum omne hoc genus est, in cuius utramque partem non desunt quae proferantur, ut neutrum possis pro certo pronuntiare.

Nec minus dubius est τῶν περὶ σχημάτων locus. In artem enim receptum fuisse hoc opus id diserte suadet, quod interdum in eo se uberius aliquid explanasse Apollonius dicit ita, ut ad eiusdem collectionis partem aliam nos relegari adpareat. At ne locus quidem quidquam difficultatis videtur movere, si ex Prisciano Dionysioque comparatis, quid de eo constituendum sit, conligere velis. Uterque enim, cum de nomine agat, plura affert *περὶ σχημάτων*. Cf. Prisc. V, 11, 56 sqq. (p. 664 P.) et Dion. Thr. p. 635, 21 sqq. At tamen huic testimonio, quod ad Apolloniani *περὶ σχημάτων* operis locum definiendum attinet, omnem testandi vim derogandam esse existimo. Quod enim illi grammatici de hac re praeceperunt, ut nominis doctrinae insertum est, ita spectat tantum hanc orationis partem. Apollonium contra suum opus non tam artis finibus circumscripsisse perspicimus ex ipsius verbis. Nam in hoc et participiorum rationem habuisse eum edocemur *π. συντ.* p. 330, 9 sqq.; et articuli *π. ἐπιφύ.* p. 503, 5 sqq.; et pronominum *π. συνδ.* p. 495, 29 sqq.; et *π. ἀντων.* p. 299 B; et ὁποῖος — ὁπόσος relativorum *π. συνδ.* p. 502, 15. Itaque non potuit illud opus non tenere locum *τῆς τέχνης*, qui rei omnibus orationis partibus communi conveniret. Qui unus fuit post *τὴν λέξιν* et ante orationis partes. Atque haud scio an et quod de loco τῶν περὶ σχημάτων et quod de loco τῶν περὶ προσωπίδων sensi, eo fiat aliquanto probabilius, quod in utraque re ratiocinando assecutus sum idem. Quod vero opus de quo nunc agimus adlinet, non est cur in eo haereas;

quod a Prisciano id praetermissum vides. Longe enim plurima, quae illud doceret, cum a suae linguae natura abhorrerent, eo lubentius ea Priscianus reicere potuit, quod in non nullis orationis partibus, praesertim in nomine iterum figurarum doctrina explananda fuit, sic ut etiam Apollonius qua erat disputandi ubertate sine dubio nominis doctrinae plura addiderat de eius figuris.

Tertio autem opere, quod est *περὶ στίγμων*, paucis possumus defungi. Potuerit, qui ab prosodia Apollonium incepisse persuasum habet, forsitan ei locum post illam in arte concedere. Et videri quidem poterit aliquid auctoritatis habere, quoniam eandem doctrinam deprehendere licet in Dionysii arte. At *τεχνολόφος* qui primam artis suae sedem adsignavit voci, non magis potuit interpunctionis rationem habere, quam qui a dictione aut a syllaba aut a litteris inceperunt.

Ut igitur uno conspectu comprehendam, quae universa hac disputatione evicisse videor: quos ἡ τέχνη γραμματικὴ comprehendit libros omnes, et quos firma testimonia tradunt Apollonium scripsisse, et tres illos, quos ei coniectando restituimus, ordine nobis probato subponam, atque ita ut ascribam Prisciani institutionum indicem, quem in earum prohoemio legimus. Sic enim facile quisque tum in Apollonii titulos inquirendo tum Priscianum comparando conligere poterit, quae singulorum operum partes ad integriorem Apollonianae artis imaginem refingendam subplendae sint.

Prisciani institu-
tiones.

Apollonii *τέχνη γραμμα-
τικὴ*.

De voce et eius speciebus.
De litera: quid sit litera,
de eius generibus et specie-
bus, de singularum potestate,
quae in quas transcunt per

[*Περὶ φωνῆς*.]

Περὶ στοιχείων.

declinationes vel compositiones partium orationis.

De syllaba, quid sit syllaba, quot literis constare potest et quo ordine et quo sono, de accidentibus singulis syllabis;

De dictione: quid sit dictio, quae eius differentia ad syllabam.

[Περὶ συλλαβῆς.]

[Περὶ λέξεως.]

Περὶ προσφιδίων.

Περὶ τόνων.

Περὶ σκολιῶν τόνων.

Περὶ καταηνακασμένων τόνων.

Περὶ διεψευσμένων τόνων.

Περὶ χρόνων.

Περὶ πνευμάτων.

Περὶ παθῶν.

Περὶ σχημάτων.

Περὶ συνθέσεως.

Περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν.

De oratione: quid sit oratio, quot eius partes, de earum proprietate.

De nomine: quid sit nomen, de accidentibus ei, quot sunt species propriorum nominum, quot appellativorum, quot adiectivorum, quot derivativorum; de patronymicis: quot eorum formae, quomodo derivantur, ex quibus primitivis; de diversis possessi-

Περὶ ὀνομάτων ἢ τὸ ὀνοματικόν.

Περὶ τοῦ Τίς.

Περὶ κλητικῶν.

vorum terminationibus et eorum regulis.

De comparativis et superlativis et eorum diversis extremitatibus: ex quibus positivis et qua ratione formantur; de diminutivis, quot eorum species, ex declinationibus nominum, quomodo formantur; de denominativis et verbalibus et participialibus et adverbialibus: quot eorum species, ex quibus primitivis, quomodo nascuntur.

De generibus dinocendis per singulas terminationes;

De numeris; de figuris et earum compage.

De casu.

De nominativo casu per singulas extremitates omnium nominum, tam in vocales quam in consonantes desinentium, per ordinem; de genetivorum tam ultimis quam paenultimis syllabis.

De ceteris obliquis casibus, tam singularibus quam pluralibus.

De verbo et eius accidentibus.

De regulis generalibus omnium coniugationum.

Περὶ συγκριτικῶν.

Περὶ παρωνύμων.

Περὶ γενῶν.

Περὶ πτώσεων.

Περὶ τῆς ἐν θηλυκοῖς ὀνόμασιν εὐθείας.

Περὶ ὀημάτων, ἧ τὸ ὀηματικόν.

Περὶ συζυγίας.

De praeterito perfecto. *Περὶ παρῶχημέρων.*

Περὶ προστακτικῶν.

Περὶ τῶν εἰς μιληγόντων ῥημάτων παρὰ γῶγων.

De participio. *Περὶ μετοχῶν.*

Περὶ ἄρθρων.

Περὶ ὑποτακτικῶν.

De pronomine. *Περὶ ἀντωνυμίας.*

De praepositione. *Περὶ προθέσεως.*

De adverbio et interiectione. — — *Περὶ ἐπιρῶρημάτων.*

De coniunctione. *Περὶ συνδέσμων.*

De constructione sive ordinatione partium orationis inter se. *Περὶ συντάξεως.*

Haec habui. Quae, licet Apollonii exlitisse *τέχνην γραμματικῆν* ut pro explorato habeatur, effecisse videantur, tamen non diffiteor subinde vel melius disputari potuisse vel etiam reiectanea praecipere. Ita vero ut sit, duo potissimum in causa sunt: primum, quod facile in grammaticis delitescens indicium, quod plurimum ad nostram rem habeat momenti, effugere potuit vel diligentius circumspicientem; alterum quod omnino mihi fatendum est deesse illam diuturnam Graecorum grammaticorum consuetudinem, qua una in hoc lubrico genere utaris duce non fallaci. De multis igitur diiudicent velim, quorum haec est provincia, Regiomontanos dico grammaticorum principes. Quorum unus Skrzeczka nunc maxime exoptatissimum Apollonii amicis auxilium parat, cum in eius doctrina grammatica restituenda non minus accurata diligentia quam iudicio cum acuto tum prudenti elaboret.